

At etiam timore percussis non defuit divinum præsidium, ita ut Jacobus de incepto desistere compelleretur. Nam Cardinales in unum pro creando Pontifice coeuntes. XII. Kal. Septembris Æneam Picolomineum Senensem Præfulem, paulò ante in Cardinalium cœtum à Callisto assumtum, in Pontificem Maximum omnium consensu creavere. Id cum ad Senenses pervenisset, quammaximam, ac pæne ineffabilem lætitiã (uti par erat) excitavit; & is, quem à Piccinino ad petendam pecuniam missum diximus, hospite insalutato discessit. Et Senenses representatã Coronationis pompã, die Septembris tertia, maxima cum celebritate, summoque splendore Oratores octo ad eum salutandum destinaverunt. Fuere autem Pierozzus Picolomineus, Riccardus Seracenus, Ludovicus Petronius, Johannes Bichus, Nicolaus Nannus, Thomas Doccus, Georgius, ac Franciscus Lutii. Discessere autem à Civitate tertio Non. Octobris cum centum ac duodecim Equitibus Nobilibus, splendideque apprime, ac nitide ornatis, secumque mœnera ditissima advexere, vasa aurea, atque argentea; & ut se illi gratiorem Civitas exhiberet, Picolomineam Familiã cum ceteris pridem Nobilibus à publicis muneribus expulsa, ad Reipublicã administrationem repetivit. Pontifex Antonium Picolomineum Sancti Vigili Camaldulensis Ordinis Abbatem, in Senensis Urbis Antistitem sibi subrogavit. At Oratores, quos ad eum missos diximus, sexto Idus Novembris reversi sunt, secumque in maximi honoris, atque amoris signum, Coronam, qua Pontifex redimitus fuerat, asportarunt, quæ quidem insequenti die ab Episcopo, præcedente Clero, & Magistratibus subsequenter, ad majorem Basilicam perlata est. Postridie verò Dominicus quidam Lucensis Nuntius venit à Pio Pontifice Senenses Nobiles ad Reipublicam administrandam restitui ejus nomine postulans. Quamobrem habito pluries Senatu, ac super ea re consulto, nil denique actum est. Oratores tres tantummodo electi. Hi fuere Petrus Turchius, Christophorus Felicius, ac Petrus Beringuccius; qui quidem illico profecti, Pontificem adeunt, orantes, ne id propter publicam quietem facere cogerentur: eam enim esse Nobilium superbiam, ut nullo pacto Civilem æquitatem servaturi esse viderentur; nec ob aliam ullam causam fuisse quondam per Majores à Republica semotos; nec esse, cur conqueri Nobiles possent, cum non modò rebus suis frui pacificè, ac sine ulla molestia valeant; sed non penitus à Reipublica procul administratione facessant, cum & in bellicis rebus, & in jure subditis dicendo cum exteris sint participes; sed tantum à Civilibus muneribus sejunguntur; quod si ad alia Civilia munera restituantur, fore ut propemodum Civium ab eorum consortio defuorum pax & tranquillitas perturbetur. Orare proinde Cives omnes ejus Beatitudinem, ne rem talem fieri ulterius requirat.

Perstitit in suo proposito Pius Pontifex; & dum Dominicus Nuntius, quem diximus, ad eum ante Oratorum adventum rediisset, Bartholomæum Rovarellum Mutinensem Episcopum Nuntium denuo ad Senenses mittit, eadem, quæ superius petiturum. Magistra-

A tum Supremum adiens, Pontificis nomine exponit, non oportere ad eum Oratores mittere, ni prius Nobiles ad Reipublicam administrandam restituantur. Quamobrem Oratorum profectio differtur ulterius, & habito iterum Senatu, ac super ea re consultum est. Quapropter Pontifex molestia quammaximã affectus, Dominicum rursus literas, & quidem indignationis plenas offerentem, ad Senenses mittit, iisque super habito Senatu, cum nil ea de re decerneretur, Oratores tres eliguntur. Hi fuere Baptista Bellantius, Franciscus Aringherius, Matthæus Sabinus, qui Decembris quinto Idus cum ab Urbe discederent, postridie Nicodemus Mediolanensium Ducis Legatus accessit, Magistratum Supremum Ducis nomine instanter requirens, ut justa petenti Pontifici assentiantur. Id fore Domino suo perquam gratissimum; ac, si secus fiat, perquam molestum; justam enim, & rationi consonam esse Pontificis voluntatem, ut Cives omnes Reipublicam curent, gubernent, ac tueantur; nec esse, cur Nobiles procul ab ipsius administratione facessant, in quos Civitatis primordia, ac principia referantur. Inter quos ipse Pontifex numerari jure debeat; ejus auctoritatem, & potentiam minimè contemnendam, justamque ipsius indignationem fore, si Pontifici bene toties de Republica merito non obtemperetur. Hæc Mediolanensium Ducem movisse, ut se Oratorem ad ea Senensibus persuadenda destinasset, ac propterea pro veteri amicitia, mutuisque beneficiis rogare, hortarique, ne Pontifici justam postulanti obstitissent.

Non valere tanti Principis, cui pluribus de causis Senenses deberent, suasiones, ac preces per Oratorem alioquin Civitati perquam gratissimum, eorum obstinatos animos permulcere; quin coacto Senatu, ac re maturius pertractata, quæ poscebatur, negarunt. Verum Legatorum reditum expectandum decernunt, qui quidem Kal. Januariis ad Urbem redeuntes retulerunt, firmam ac stabilem esse Pontificis intentionem, ut Nobiles ad Reipublicam adfiscantur: quod si factum fuerit, ejus animum ad Civitatem bonis, ac dignitatibus amplificandam, publicè privatimque fore promptissimum. At cum res diutius protraheretur, pluresque Pontifex Epistolas ad Magistratus, & Cives sibi familiares perperam exarasset, non potuit indignatione non commoveri. Id cum à Florentinorum Legatis tunc Romæ agentibus, rescitum esset, eumque brevi temporis intercapedine Romã æstus causã proditorum intellexissent, commoda quamplura & sibi, & Aulicis omnibus offerentes, ad proficiscendum Florentiam invitarunt. Quod cum ad Senensium aures pervenisset, sive æmulatione, sive timore quodam adacti, habito Senatu, X. Kal. Februarias, Nobiles juxta petita Pontificis ad Reipublicam administrationem restituant. Tanta deinde eorum restitutione inter ceteros Cives suspicio exorta est, ne qua rerum perturbatio subsequeretur, ut Cives novem per Tribus distributos Civitatis custodiã præficerent; hisque Juvenes trecentos conscriptos pariter distributos tribuerent, ut si quis aut tumultus, aut incendium oriretur, præsto suis Ducibus adessent, & cum illis Supremi Magi-